

oo ge



Q. D. B. V.

# DE LINGVIS

*Prefatio*

Actui Oratorio *πραγματικῆ*

*In laudem IV. linguarum cardinalium*


*d. 5. Aug. ann. 1672.*

In Schola Arnstadiensi publicè insti-  
tuendo præmissa

M. JOH. CRAUSIO Rect.

*Luther. lib. de constituendis Scholis.*

**E**Vangelium commodè nunquam retenturi sumus, nisi fiat *lingvarum* auxilio. Vaginarum vice sunt lingvæ, in quibus gladius ille spiritûs, nempe verbum Dei, tenetur insertus. Arcæ sunt, seu thecæ repositoriæ, quæ repositum hoc *κειμήλιον* adservant. Pocula sunt, quibus salubrem hanc potionem exceptam circumferimus, &c. Quod si nobis supinè stertentibus (fors dicta refutet) per incuriam elabantur lingvæ, timendum est, ne non Evangelium solum amittamus, verum rursus eò miseriarum venturum nobiscum, ut qui nec Latinam lingvam, aut sermonem patrium recte sonare aut scribere callebimus.



ARNSTADIAE

Literis SINGIANIS.

**I**nter Principes eâsq; laboris plenissimas Scholarum operas esse istam, quæ in tradendis lingvis occupatur, palam & in vulgus notum est. Et optandum quidem erat, nobis æquè felicibus licere esse, ac antediluvianis hominibus, quibus sola Hebraica lingua usitata erat, quippe qua omnis divinarum & humanarum rerum scientia tum continebatur. Frustra enim plures illi ætati lingvas cum R. Eliesere quidam vindicant: Nequiequam etiam primævæ & antiquissimæ lingvæ nomine venditant alii cum Theodoreto Cyri Episcopo *Syro-Chaldaicam*; Alii iiq; Abyssini *Æthiopicam*; Alii cum Patricide Patriarcha Alexandrino *Græcam*; Alii cum Joh. Goropio Becano *Cimbricam*; Alii cum Psammeticho Rege *Ægyptio Phrygiam*: Quandoquidem *istos* satis refellit tme- ma illud Gen. XI, quod omnem terram id temporis unius labii fuisse disertè asseverat: *Hos* verò confutant nomina primorum hominum & urbium, quæ ad nullam lingvam commodiùs referri queunt, quàm Hebraicam. Precariò etiam Vir alioqui sui nominis, sed novitatis, cum veritatis quoque jactura, amantissimus, *Hugo Grotius*, quiq; ipsi pollicem premunt, primævam lingvam nusquam hodie exstare, sed plane desiisse, nec Hebraicam fuisse, contendunt. At enim post superbam illam & infelicissimam turris Babylonicæ structuram tot exortæ sunt, hodieq; obtinent lingvæ, ut earum numerum inire vix ac ne vix quidem, nedum perdiscere, queas. Quanquam enim sunt, qui ex Gen. X. eas ad septuagenarium numerum revocant; Ex instituto tamen & accuratè eos refellit *πλουμαθία* Sam. *Bochartus* in *Geographia S. part. 1. seu Phaleg. lib. 1.* & ipsa experientia contrarium testatur. Conf. *Alstedius* in *Thef. Chronol.*, in Catalogo lingua-

gva.

lingvarum. Neq; verò eòdem censu omnes lingvæ habendæ sunt. Inter ceteras enim maximè eminent cardinales, tanquam fecundæ aliarum matres, quales sunt Germanica, Latina, Græca & Hebraica. Ex quibus prima nobis vernacula, & vel hoc solo nomine suspicienda est, utpote quibus *non tam præclarum est Germanicè scire, quàm turpe nescire* (ut verba Ciceronis de Latina Lingva Romanis addiscenda huc accommodem) in primis, cum nulli exoticarum dignitate, gravitate, utilitate quicquam concedat. Nec abs re Joh. Langus Ferdinandi I. legatus, superiore seculo Petr. Royzium Mauræum, Hispanum, cum sermonem nostrum tanquam horridum & asperum perstringeret: *Germani, inquit, non loquuntur, sed fulminant; Et credo ego Deum ex indignatione hoc sermonis fulmine usum, cum primos parentes paradiso extruderet*: falso planeq; condigno responso excepit: *Ego verò, subjiciens, censeo, serpentem blando & suavi vocis Hispanica fuce usum, cum Eva imposuit*. Vid. Lansius Orat. contra Galliam p. 320. Reliquæ tres eruditorum lingvæ dicuntur, quòd nemo eruditorum illas, præcipuè Latinam & Græcam, ignorare possit, certè non debeat. Græca verò & Hebraica sanctæ etiam salutantur, quod scriptura V. & N. T. iisdem perscripta sit, nec absq; illarum adminiculo à quoquam solidè intelligi possit. Et harum quidem cognitio uberior nostris temporibus omninò pro egregio Dei dono habenda est. Impiè enim multi Pontificiorum (Waldensibus seu Pauperibus de Lugduno hæctenus *ὀπίσθητοι*) lingvas istas adeò susq; deq; habuerunt, ut tantum non hæreseos dicam earundem gnaris scriberent, cum circa Reformationis tempus per Joh. Reuchlinum & Er. Roterodamum aliosq; elegantior literatura renasceretur. Siquidem, teste Sixtino Amama in Oratione de barbarie istius seculi, *crassi isti homines in hoc uno subtiles fuerunt, ut à lingvarum & scripturarum studiis juventutem arcerent, lingvarum peritros hereticorum patriarchas appellando*. Conf. etiam Joh. Henr. Hottin-

ge.

gerus præfat. Thes. Philolog. & Claudius Espensæus Comment.  
in 1. Tim. 3. Verùm ipsi cordatiores Pontificii rectius sentiunt, in-  
primis qui Bibliorum polyglottorum, Complutensium, Hispani-  
corum & Gallicanorum editiones procurârunt. Proinde quod de  
Epicureo Sardanapali epitaphio (ede, bibe, lude, post mortem  
nulla voluptas) olim pronunciavit Aristoteles apud Tull. l. 5. Tusc.  
Q., non in Regis, sed bovis sepulchro illud scribendum fuisse: Idem haut inju-  
ria in brutum istud & insulsissimum iudicium competit, bovis po-  
tius esse quàm hominis. Præcipue verò liber B. Lutheri paræne-  
ticus de constituendis scholis, in quo lingvas illustrissimo & pro-  
pe invidendo maectat encomio, dignissimus est, qui iterum ite-  
rumque legatur, habentur enim ibi cùm rationes gravissimæ ad  
lingvarum studium accendentes: tum objectionibus etiam *μυ-  
γλώσσων* abundè satisfit. Cui addendus est Commentarius in Psal. 45.  
Hebraicæ lingvæ utilitatem incomparabilè graphicè describens.  
Optimè igitur ex discentibus sibi consulunt, qui severâ lege, non per saltus, sed  
gradus, proficiunt, atque unâ cum artibus ingenuis aliisque disciplinis lingvas  
cardinales diligentissimè perdiscunt, nec cruda studia cum certissimo damno &  
dedecore in Academiam propellunt. Ceterum lingvas istas singulas singulis  
Orationibus pro ingenii & ætatis suæ modo deprædicabunt quatuor primi scho-  
læ nostræ discipuli, & quidem

I. GEORG. FRIDER. *Meinhart Arnstadiensis*, (ut specimen  
edat profectuum, quos in lectione Bibliorum Hebraicorum fecit) lingvam He-  
braicam Hebraicè

II. BARTHOLDUS HENR. *Pfotenhauer Francohasæ Thur. Græcæ*  
ram Græcè

III. ERN. GUNTHERUS *Eorger Barchfeldiâ Thur. Latinam Latinè*

IV. ADAMUS GOTTFR. *Sengewald Ringlebiâ Thur. Germani-*  
cam carmine Germanico laudabit: & ætis gratiis auditorium dimittet.

Huic exercitio ut plurimum Venerabiles & Amplissimi Dnn. Scholarchæ,  
Inspectores, & quotquot bonas literas callent ac amant, benevolè interesse, &  
gravissimâ suâ præsentia juventuti ad lingvas sedulò excolendas calcar addere ve-  
lint, observanter, officiose & amice contendo. Arnstadiæ d. 4. Aug. Ann. 1674.

AB: 155735 (1)


ULB Halle 3  
003 023 915




80

V. 3. 12







B.I.G.

Farbkarte #13



V.

# INGVIS

περαγλώττω

n cardinalium

. 1672.

si publicè insti-  
nissa

USIO Rect.

endis Scholis.

am retenturi sumus, nisi fiat  
um vice sunt lingvæ, in qui-  
verbum Dei, tenetur infer-

e, quæ repositum hoc κειμήλιον  
ubrem hanc potionem exce-  
si nobis supinè stertentibus  
elabantur lingvæ, timendum  
tamus, verumrursus eò mi-  
ui nec Latinam lingvam, aut  
scribere callebimus.



IAE

I A N I S.

